

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Crux c

cum fontibus proximo et primis

Crucem ut in ea gloriemur
Dominus suo gestans humero
pro uirga regni nobis commendauit.

Quod est
grande ludibrium impiis, grande misterium piis.

Et unde mundi philosophus erubuit,
ibi apostolus thesaurum reperit.

Quod illi uisum est stulticia,
apostolo factum est sapiencia et gloria.

Augustinus super illud Gallatas VI.:
Michi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri.

Crucem autem ut in ea gloriemur
Dominus suo gestans humero,
pro virga regni nobis commendavit:

quod est
grande ludibrium impiis, grande mysterium piis.

Petrus Lombardus, *Collectanea in epistolis Pauli – in epistola ad Galatos*, 6 (PL 192, col.167D-168A).

Ecce ubi mundi philosophus erubuit,
ibi Apostolus thesaurum reperit:

quod illi visum est stultitia,
Apostolo factum est sapientia et gloria.

Petrus Lombardus, *Collectanea in epistolis Pauli – in epistola ad Galatos*, 6 (PL 192, col.167C).

Dicturo enim Paulo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri Iesu Christi,*
ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat, et lucernae arsurae quae sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.

Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus CXXIV.*, 117.3 (CCSL 36, R. Willems ed., pp.652-3, ll.13-16).

Grande ludibrium impiis, grande mysterium piis
gloriantibus, quasi in sceptro regni, et est crux candelabrum lucernae quae non erat sub modio ponenda.

Glossa ordinaria, liber euangeli secundum Iohannem, 19
(Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Vbi mundi philosophus erubuit,
ibi thesaurum apostolus repperit;
non contempnendo uile inuolucrum, peruenit ad pretiosum inuolutum.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in epistolas apostolicas*, 160.4 (CCSL 41Bb, S. Boodts ed., p.112, ll.137-139).

quod illi visum est stultitia
apostolo factum est sapientia et gloria.

Glossa ordinaria, liber epistolae ad Galatos, 6 interlin.
(Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).